

P I S A

1 6 0 8





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Hd. 11.*





DISPUTATIO III.  
EXERCITATIONVM ETHICARVM  
*De*  
VIRTUTE MORALI  
IN GENERE.

*Quam*  
DEO DUCENTE ET DOCENTE  
*In illustri Academia VVitebergensi*

PRÆSIDE  
M. HENRICO VELSTENIO PHILO-  
sophiæ Moralis Professore publico,  
*Defendendam suscipiet*  
HENRICUS RHETELIUS OSTERO-  
densis Saxo.

*25 April. horis locog<sub>3</sub> consuetis.*

Seneca

*Nulla possessio, nulla vis auri, & argenti pluris  
quam virtus æstimanda est.*



WITEBERGÆ

*Typis Mullerianis Anno 1607.*





# Viris

REVERENDIS, EXCELLENTIS-  
simo, Clarissimis, insigni pietate, exquisitâ do-  
ctrinâ & omni virtutum laude emi-  
nentissimis.

DN. IOHANNI PANDOCHEO S.S.  
Theologiæ Doctori, Pastori ac Superattendenti  
Sangerhusano vigilantissimo.

DN. M. CONRADO STEINMANNO  
Ecclesiæ Hertzbergensis Antistiti, & reliquarum  
Grubenhagicæ Diœcesi subjectarum Supe-  
rattendenti dignissimo.

DN. ANDREÆ RHETELIO Parenti  
piè colendo, &

D. M. IOHANNI STAPELIO: Vtrisq;  
Ecclesiæ patriæ præconibus fidelissimis, sym-  
mystis & collegis conjunctissimis

*Dominis Mecænatibus, promotoribus atq; fautori-  
bus suis, summâ perpetuaq; fide & observan-  
tiâ colendissimis.*

Hæc studiorum suo-  
rum. ἡμετέρας in.

{ Debitæ observantiæ monumentum,  
Grati animi documentum, &  
Filiæ obsequij testimonium

Consecrat & devotè offert

*Henricus Rhetelius Resp.*



MORALIVM EXERCITATIONVM

III.

*Quæ agit de virtute morali in genere.*

CONTINVATIO.

**D**ostquam in precedenti συζητησει primam Ethices partem, quæ in ἐσθαιμολογία, sive summi boni contemplatione consistit, discussam & absolutam vidimus: reliquum erit, ut institutum nostrum prosecuturi ad alteram partem nimirum ἀρετολογίαν, id est, virtutum doctrinam digrediamur. Neq; id ἀμεδέδως: quippe frustra tot verbis de fine contenderetur, nisi tandem ad medium acquirendi finis pateret via. Nam ut vanum est longo intervallo speratam intueri palmam, si nullo utaris medio, quo apprehendas: ita stultum est in fluctibus hujus vitæ intueri finem, si nullo utaris medio quo acquiras: motu corporis palma & motu virtutis beatitudo capitur. Casus in spec. quæst. mor. lib. 2. c. 1.

Hæc ergo est secunda pars, quæ de medio illo nim. Virtute tractat. Inquirat enim principia, essentiam & affectiones virtutum. Unde de huius partis præstantia facile constabit. Quam quidem præstantiam ideo verbosius hic non prosequimur, quod per se illa sit satis illustris & splendida, nobisq; egregium illud Scaligeri dictum dulcescat, quo à tanto subtilitatum Magistro edocti scimus, nobis in Lycæo brevioribus ambulandum esse spatium, Exer. 256. Declamationes enim ambitioforū cibi sunt, & naturæ divinitatisq; impedito animo studendum est ei brevitati, quæ res æquet verbis, & demonstrationes habeat pro Nectare. Exerc. 307. sect. 20. Missa igitur λογμαχία πρῶτα ἀρετολογίαν sequemur, recto pede ad institutum nostrum perrecturi.



## THESIS I.

**N**omni dissertatione rectè & prudenter instituen-  
dà, ex communi Philosophorum sententiã initium  
sumi debet ab explicatione nominis, quo res illa signi-  
ficatur, circa quam disertio occupatur. Timpl. prim.  
part. Phys. gen. c. 1. Et nominum cura habenda maxima Scal. Exer. 1.  
l. 1. Ex. 88. l. 2. Oportet enim prius vocis ipsius usum cognoscere, à quo se-  
pe provehimur in rei cognitionem, ut Plato in Cratylo ostendit.

II. Proinde & nos virtutis ἔθους indagaturi varias à variis  
reperimus denominationes, & quidem utriusq; fontis tam  
græci quam latini diversas.

III. 1. Si enim ad latinum abeamus fontem, 1. sunt, qui vo-  
cabulum virtutis à vi deduci putent, quæ Durandi est opinio:  
sed oppido falsa: quippe nulla vis, nullus impetus, aut violentia in vir-  
tutibus reperiantur, sed omnia moderata, ut inferius manifestum evadet.  
2. Propius ergò ad nostram sententiam accedit Cicero; quando  
hanc vocem originem suam à viro traxisse testatur 2. Tusc. quæst.

IV. 1. Ex græco verò fonte 1. Plato in Cratylo talem nobis suppedi-  
tat notationem ἀρετῆς dicta est, quasi ἀρετῆς (ab ἀρετῆς) expeten-  
di: Vel κατὰ μετὰ δεσιν literarum quasi ἐξατὴ ἀμabili: vel ἀπὸ  
τῆς ἀρετῆς à tollendo, quod animam ad summa elevat & attollit. 2. Aliis  
alia arridet deductio. Vel enim ab ἀρετῆς conjugo vel ἀπὸ τῆς ἀρετῆς  
id est, Marte, quæ appellatio secundum ἀρετῆς id est masculinum & ἀνδρείον,  
id est, forte eidem Marti competit. 3. Nonnulli ab ἐξάω diligo, quod  
virtus debeat amari: vel ab ἀρετῆς placeo, quod omnibus placeat de-  
ductum volunt.

V. Verùm ut ut sit, semper ea erit amplectenda derivatio &  
notatio, quæ rei naturam quàm proximè denotat: quales ex his  
pleræq; sunt omnes.

VI. Origine monstratã variã, succedit ut ὁμωνυμία tollatur:  
quæ sublatã citius & eo felicius definitiones extruuntur. Arist. in pro-  
categor: & qua non sublatã facile in errores incidimus, quorum mater  
est ambiguitas Scal. Exer. 104. l. 4. Imò sine distinctione vocis ambi-  
guæ velle ad rei considerationem venire est velle tempus perdere Gal. 1. 1.  
de Method. c. 5.

Vir-



VII. Virtutis nomen variè accipitur. Nam teste Aristotele I. 2. Eth. c. 6. Virtus generaliter sumitur pro cuiuslibet rei perfectione. Hinc 1. Independenter & in eminentia soli Deo tribuitur, quo sensu, Deus dicitur justus, sapiens, omniq; virtutum perfectione eminentissimè præditus: quæ virtus est ipsamet eminentissima Dei essentia, solâ ratione nostrôq; intelligendi modo ab eo distinctâ. 2. Dependentè pro illius umbra & tenui imagine: atq; sic tribuitur creaturis, quibus quando tribuitur sumitur vicissim 1. Latissimè pro efficacia quadam utili, quæ in auro gemmis, herbis &c. apparere solet. 2. Minus latè & dicitur de homine cui tripliciter competit. 1. per naturam, 2. Vel infunditur à Deo quæ aliàs virtus Theologica sive spiritualis dicitur, & peculiari Spiritus S. gratia hominibus confertur, ut sunt spes, fides, charitas &c. 3. Vel comparatur nostro studio cura & labore. Atq; hanc postremam ex tribus hisce ad hominem pertinentibus unicam eligimus, tanquam instituto nostro convenientem ac inservientem. Magirus in lib. 2. Nicom. c. 6. p. 105.

IIIX. Cum ergo de vera hujus vocabuli acceptione constet, fas erit, ipsam virtutis divisionem subnectere. Quod tamen antequam fiat, haud & περὶ τῶν ἀρετῶν καὶ τῶν ἀγαθῶν fecerimus aliorum partitiones & divisiones proferendo.

IX. Constat quippe referente Laërtio lib. 7. de vitis Philosoph. alios duas virtutes statuisse contemplativam & practicam, ex quorum numero fuit Panætius: alios tres, Rationalem, Naturalem, & Moralem: quatuor Posidonius: plures Cleanthes, Chrysippus & Antipater. Apollonphanes verò unam dicit esse virtutem nempe prudentiam.

X. Stoici eas aliquando in speculativas & practicas, aliquando in primas & subjectas partiuntur, quæ posterior divisio una est cum ea, quam idem Laert. l. 3. adscribit Platoni: in perfectas seu cardinales, & imperfectas seu specialiores: quam divisionem etiam Cic. l. off. amplecti videtur.

XI. Verùm hisce omnibus posthabitis Aristotele ex divisioni calculum adjecturi, dividimus virtutes ratione subjecti, in intellectuales & Morales Arist. 1. Eth. Nicom. c. 13. & 6. cap. 1. idq; quatuor ducti rationibus. 1. Quia omnes virtutes sub se comprehendit, quæ Ethicæ proprie sunt. 2. Quia duo sunt potissima facultates in homine, quæ corrigi debent & ad perfectionem suam reduci: una anima rationalis, cui intellectuales virtutes præsent: altera cum inferioribus



animæ facultatibus participans, nempe voluntas, cui Morales virtutes sunt destinandæ. Conf. Mocen. cont. 5. p. 2. 3. Ad principia eadem distributio legitimè accommodatur unde virtutes dependent. 4. Quia bimembris divisio non exceditur, & ipsa membra inter se contra distinctionem non aversantur.

XII. Cæterum cum tanto accuratior distributio sit, quanto partium & cum toto consensus & inter se dissensio major fuerit, Ram. lib. 1. Dial. c. 25. hic ordine earundem discrepantias enarrare lubet.

XIII. Differunt ergo virtutes morales ab intellectualibus 1. Subjecto, quod paulò ante attigimus. 2. Differunt causa efficiente. Nam virtutes intellectus τὸ πᾶσις ut dicit Philosophus doctrinâ & institutione comparantur: Morales verò acquiruntur longo usu & exercitatione. Arist. 2. Nicom. c. 1. 3. Fine. Propria enim actio virtutum intellectus est ipsa θεωσιὰ contemplatio & cognitio veri, unde θεωσιὰ καὶ appellantur: Virtutes verò Morales consistunt in actione rerum & nominantur πρακτικὰ, activa. 4. Materia. Virtutes enim intellectus versantur tam circa necessaria, quam circa contingentia, tam circa univèrsalia quàm singularia: Morales tantum versantur circa contingentia & particularia. 5. Postremò differunt effectu. Nam per virtutes intellectuales secundum Philosophos comparatur Beatitudo θεωσιὰ καὶ contemplativa: per virtutes morales acquiritur Beatitudo πρακτικὴ Activa & Politica.

XIV. Atq; sic virtutum præmissâ divisione, reliquum erit, ut alterutrius tractationem suscepturi certam quandam definitionem subnectamus.

XV. Verùm quia in propatulo est Virtutem Moralem determinari θεῖος λόγος καὶ ὡς ἀνὸ φρονιμὸς θεσιῶν: Arist. 1. Nicom. cap. 6. & verò dirigens prior semper est directo, mensurâq; prior naturâ, quam res cui est mensura Scal. Exer. 352. aqua hic alicui herere posset, utrius prima assignanda subsellia? Verùm quia hac vicè Aristotelicum filum sequi animus est, intellectuales virtutes postponere & peculiari tractationi eas reservare cogimur, interim non diffidentes ratione ordinis accuratioris primas ipsis deberi.

XVI. Retentâ igitur morali hac virtute ejusdem definitionem cum Philosopho extruimus talem: Αρετὴ ἐστὶν ἕξις πρακτικὴ ἢ μισότης καὶ ὁμοιοτήτης πρὸς ἡμᾶς ὀρισμένη λόγῳ καὶ ὡς ἀνὸ φρονιμὸς



μοῦ ὁπίσθεν. Virtus est habitus electivus, in mediocritate consistens quo ad nos definita ratione viri prudentis. 2. Lib. Eth. cap. 56.

XVII. Quam quidem definitionem ut perfectam & omnibus numeris absolutam demonstramus, oportet ut membratim illam retexamus & non tam definitum quam ipsam definitionem paullo altius perpendamus, postmodum ad causas sive principia virtutum accessum facturi.

XVIII. Primò, quod ipsum definitum attinet, virtus dicitur moralis, Græcè ἠθικὴ que vox (ut Arist. lib. 2. Eth. c. 6. author est) deducta est ἀπὸ τῆς ἔθης ab assuefactione vocali brevi e in longam n mutata, eò quod assuefactione, crebra virtus comparetur: vel ἀπὸ τῶν ἠθῶν, à moribus, quos hac virtus informat, unde tota hac Philosophiæ pars nomen accepit, quam Moralem primus appellavit Cicero, ut testatur Lib: de Fato ab init. Vide disp. 1. th. 2.

XIX. Definitionem porrò quod attinet, primo loco ipsum genus considerandum venit, quod dicimus esse ἔξις sive habitum.

XX. Etenim cum ex lib. 1. Eth. c. 13. constet virtutem animi qualitatem esse: ex tribus, quæ in animo & quidem irrationali occurrunt, nempe, ex affectu potentia, & habitu, ad unam virtus necessariò referri debet. Erit igitur aut πάθος aut δύναμις, aut ἔξις. At virtus nec potentia nec affectus est. Quare relinquatur quòd sit habitus. Arist. 2. Nim. cap. 5. Savon. lib. 4. Epit. Ethic. Concl. 1.

XXI. Quod verò virtus non sit πάθος Aristoteles quatuor evincit argumentis. 1. Quoniam ex affectibus neq; boni neq; mali dicimur: sed secundum virtutem. 2. Propter affectus nec laudamur nec vituperamur, sed propter virtutes. 3. Affectus sunt repentini motus animi absq; ἡσυχίας. Virtutes autem non sunt ἀνευ ἡσυχίας. Ergo. 4. Propter affectus dicimur quodammodo κινῆσθαι i. e. moveri: quoniam illis animus nonnihil perturbatur & quasi mutatur. Virtutibus autem οὐ κινῆσθαι ἀλλὰ διακινῆσθαι ὡς non moveri, sed quodammodo affici dicimur. Lib. 2. Eth. c. 5. Ergo. Donat. 1. 2. c. 3.

XXII. Deinde virtutes non δυνάμεις esse itidem probatur à Philosopho tribus rationibus: quarum duæ priores cum iis concurrunt, quas in apice precedentis questionis posuimus.



posuimus. Quia nimirum propter potentias neq; boni neq; mali dicimur: ideoq; etiam propter illas neq; laudari neq; vituperari possumus. Postrema sumitur ab efficiente: potentia naturaliter nobis insunt. Virtutes vero & vitia non natura nobis adsunt: sed usu & assuefactione comparantur. Ergo non sunt φύσεις. Arist. l. d. Casus l. 2. quæst. moral. c. 5. Donald. l. 2. cap. 3.

XXIII. Pergimus in evisceranda definitione & quidem invento & constituto genere virtutis, restat differentiam ejusdem inquirere, quæ in reliqua definitionis parte dupliciter insinuari videtur.

XXIV. Primò enim differentia loco adducitur Vocabulum *ἡσυχασίας*, innuens habitum in electione consistere, unde virtus Moralis i. distinguitur ab intellectuali. Hæc enim cum in animi parte rationali, Intellectu nimirum sit constituta, non poterit eidem attribui *ἡσυχασίας*, quæ in voluntate & appetitu consistit. 2. Ab actionibus naturalibus in quibus electio locum non habet. 3. Ab habitibus corporis discernitur. 4. Actiones eas excludit, quæ vel temerè, fortuitò, naturaliter & coactè: vel à pueris & mente captis nulla antegressa deliberatione fiunt. Magirus in l. 2. Nicom. cap. 6. pag. 156. Donald. l. 2. c. 5.

XXV. Secundo habitus virtutis *ἡ μεσότης*, id est, mediocritate consistit, qua voce à vitio distinguitur: Vitium enim non in mediocritate sed in defectu vel excessu cernitur. Sed virtus medium est inter duo vitia ut rectè dictum à Poeta:

Est virtus medium vitiorum utrinq; reductum.

Item Est modus in rebus, certi sunt deniq; fines,

Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

Et benè Aristoteles: Quod nimium & parum est, id in vitio est. Atq; his ipsis cum paululum aberratur, culpa minor: cum plusculum major: cum valde multum summa est. 4. Ethic. 4. Magir. l. d. Donald. l. d.

XXVI. Neq; quicquam obstat, quod virtus à Pythagoreis ἀκρότατος extremitas dicatur, siquidem duplici respectu ea nobis consideranda venit.

XXVII. 1. Vel enim consideratur κατὰ τὴν οὐσίαν secundum suam naturam & essentiam, quatenus nimirum perturbationibus modum & medium præscribit, & pro circumstantiarum ratione actiones ita instituit



ruit, ut nec in eo quod nimium, nec in eo quod parum est peccet, quo sensu mediocritas verè dicitur.

XXVII. 2. Vel κατὰ τὴν ποιότητα secundum qualitatem suam, hoc est bonitatem & perfectionem: & sic rectè secundum Pythagoreos & κρότης extremitas dicitur: quippe quæ non tantum hominem ejusq; actiones perficit, sed etiam inter bona supremum locum obtinet. In hanc sententiam etiam scribit Plut. in lib. de virt. mor. Virtus respectu facultatis & qualitatis est extremitas: respectu vero quantitatis (id est essentiæ) mediocritas: & excessum & defectum tollens. Donald. l. 2. c. 3. Magir. c. 6. lib. 2. Nicom.

XXIX. Quoniam autem medium hoc non uno modo dicitur, ideoque quale hoc medium esse debeat, duo postrema definitionis nostræ membra innuunt. 1. πρὸς ἡμᾶς quo ad nos 2. ὡρισμένῳ λόγῳ φρονίμῳ definita ratione viri prudentis.

XXIX. Prius membrum duplex medium subministrat unum Rei, quod Arithmeticum vocatur: alterum personæ, quod Geometricum dicitur. Arist. 2. Ethic. c. 6. Donald. l. 2. c. 3.

XXV. Medium Rei, vocatur, quod ab utroque extremo distat æqualiter, unumq; & idem est apud omnes. Sic 9. medium est inter 6. & 12. distat enim ab utroque tribus unitatibus. DD. l. d.

XXXI. Medium verò personæ est, quod uni extremorum vicinior est, alteri verò remotior secundum proportionem Geometricam: neque tamen plus minusve habet quam decet: sed accommodatum est cujusque personæ, pro ratione circumstantiarum, loci, temporis & aliarum, quæ circa actionem sunt consideranda. Servatur autem in hoc medio eadem ratio majoris termini ad medium, & mediæ ad extremum: quo modo 8. dicitur medium inter 4. & 16. Nam ut 8. est 4. duplum, ita 16. est 8. duplum.

XXXII. Atque hoc illud est medium, quod in virtute observari & considerari debet: digrediamur nunc ad ultimum definitionis membrum.

XXXIII. Dicitur postremo in definitione ὡρισμένῳ λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρονίμος ὀρίσσει, id est definita ratione pro ut vir prudens eam definerit. Cum enim maxima sit varietas circumstantiarum in singulis actionibus: adeo ut quæ actiones alioqui specie essent similes, tamen in circumstantiis adeo variant: ut propè diverso & contrario modo de illis sit judicandum, non est cujusvis ipsum medium videre: sed tan-

B

tum



tū viri prudentis qui solus, ex longo rerū usu in omnibus actioni-  
bus quid singulis personis, locis, temporibus atq; aliis circūstan-  
tiis conveniat, intelligit. Vnde etiam Arist. lib. 6. affirmat, Nul-  
lam virtutem moralem sine prudentia posse esse perfectam.  
Magir. l. d.

XXXIV. Sed, præterquam quod Philosophus in tanta inve-  
niendi medij obscuritate virum prudentem maximè desiderat,  
tria insuper aurea præcepta apprimeq; necessaria, lib. 2. Eth. cap.  
ultimo reliquit, quæ hic observatu & tractatu digna censemus: quorum  
primum tale est.

XXXV. I. Cavendum est & magis recedendum ab eo extremo  
quod medio magis adversatur, & declinandum ad id quod me-  
dio est propinquius. Ratio est: quia in illo magis peccatur quàm in hoc  
altero. Atqui inter duo mala, semper quod minus est eligendum. Hinc  
Circe Nympha Vlysi in patriam redituro suasse narrat, Hom. Odys.  
12. ut inter duos periculosissimos scopulos Scyllam & Charybdim, in mari  
Siculo navigaturus à periculosiore sibi caveret. Arist. l. d. Donald. l.  
2. Eth. c. 3. Vbi tamen vel in primis observandum, ut, quò majore  
vitia habent cum virtute similitudinem (Sic liberalitatem effusio,  
fortitudinem audacia imitatur &c. Cic. 3. Parad.) eò magis illa observe-  
mus, ne quod ait Sat. 4. Juvenalis.

Fallat nos vitium specie virtutis & umbrâ

Cum sit triste habitu, vultuq; & veste severum.

XXXVI. II. Ab ijs vitiis, in quæ sumus naturâ proniores, absti-  
nendum, & in contrarium nitendum: ut qui timidus, est is sibi au-  
daciâ proponat sequendam; ita fiet ut paulatim ad fortitudinem perveni-  
at, sicut qui ligna distorta conatur recta efficere, in contrarium  
flectunt, unde fit ut rectitudinem induant. Ita tamen in contra-  
rium est nitendum ne in vitia adversa incidamus, ne illud Lyrici  
lib. 1. ser. 2. in nos quadret: Dum vitant stulti vitia in contraria  
currunt Arist. l. d. Donald. l. d.

XXXVII. III. In omni negotio, quam maximè voluptas caven-  
da est, nec unquam committendum ut ejus causâ aliquid susci-  
piamus. Cum enim ejus amor nobis à teneris sit insitus, imponere nobis ac  
decipere poterit antequam animadvertamus. Hinc Trojani proceres  
Priamo suadent Helenam Græcis potius restituendam quàm totum regnum  
in periculum conjiciendum. Oportet ergo nos erga voluptatem ita anima-  
tos esse, ut laudare quidem eam, ut naturæ amicam: sed tamen repudiare



ut honestati insidiantem velimus. Sunt enim voluptates blandissima Domi-  
na, quae saepe animos nostros à virtute detorquent, & ab honestis actioni-  
bus deducunt. Cic. lib. 2. off. Quo nomine gravissimè Seneca Epist.  
28. quis hostis, inquit, in quenquam tam contumeliosus fuit, quam volup-  
tates sua? quidam voluptatibus se immergunt, quibus in consuetudinem abdu-  
ctis, carere non possunt. Ob hoc miserrimi sunt, quod eò pervenerunt, ut illis  
quae supervacua fuerant, facta sint necessaria: serviunt itaq; voluptatibus  
non fruuntur: & mala, quod malorū ultimum est, amant. Quin ergo au-  
diamus Horatium. Sperne voluptates, nocet emta dolore voluptas.

XXXIIX. Atq; haectenus de virtutis definitione: reliquum  
est ut principia investigemus: nam sicut omnes aliae res sua ha-  
bent initia, ita nec virtutes suis principiis & causis destituuntur.  
Lib. 1. Eth. cap. 7.

XXXIX. Considerabimus igitur eas hinc in sua serie: In qua cum  
causa efficiens primum locum obtineat, illam pro vario considerandi  
modo dividimus in principalem & minus principalem: principalem  
rursus in remotam & propinquam.

XL. Causa virtutis principalis remota est Deus. Ille enim prin-  
cipij dignitatem adeo sibi propriam voluit, ut solus principium omnium,  
solus principium primum, solus principium tantum dici voluerit. Macro-  
b. 1. in Som. Scip. c. 14.

XLI. Memorabile est ergo illud Biantis: Cum boni quid feceris: non  
tibi, sed Deo id adscribe. Et illud Heliod. 1. 9. Deus iis, qui actiones suas  
ad ejus voluntatem accommodant, auxiliatur. Et Paulus: quid habes  
quod non accepisti?

XLII. Propinqua causa virtutis efficiens sunt actiones, quod ex sub-  
sequentibus liquet argumentis. 1. Quia virtus ex actione potissimum  
nascitur, ut disputat Aristoteles. In actionibus enim tota vis est, ut habi-  
tus in nobis procreetur. 2. Eth. c. 2. 2. Causae virtutis proximae in ho-  
mine sunt quærendae. Sed non est voluntas nec intellectus, quia ex his acti-  
onem prodire necesse est. 3. Definitur virtus ex actione, quae definitio  
causalis est. 4. actiones sunt causa virtutis. 4. Actio antecedit virtutem  
& ejus habitum. Omnis vero efficiens antecedit suum affectum. Ergo.

XLIII. Actiones diximus: quia quemadmodum una hirundo non facit ver-  
ita una aut paucae actiones habitum virtutis non generant. Ille enim ex acti-  
onum crebritate aut ex paucis bene validis creatur, sicut cavitas in lapide vel  
à multis guttis vel à re solida paucis ictibus. Scal. Ex 307. f. 4. Ari. 1. Nic. c. 7.

XLIV. Veruntamen cum non quævis actio, nec crebrae actiones virtu-  
tem simpliciter producant, sed ex iis non raro vitia repullulent, oportet  
hasce actiones mediocritate mensurari, Arist. 2. Eth. c. 2. Verum  
cum in sequenti disputatione de actionibus ex professo sit agendum, nihil at-  
tinet de hisce hoc in loco agere prolixius.



**XLV.** Causa minus principales virtutis & actionum ejusdem sunt vel in homine, vel extra eundem accedunt. *Goel. Diss. Eth. 24. th. 26.*

**XLVI.** In homine est natura, in qua bonitas spectatur, quæ ingenij & indolis nomine sæpe exprimitur, *εὐφροσύνη Græci vocant* Piccol. grad. 2. c. 3. & seq.

**XLVII.** Extra hominem, educatio & assuefactio, quæ contingit vel à parentibus domi: vel à præceptoribus foris *Goel. d. l.*

**XLVIII.** In qua quidem educatione quantum situm sit, omnes omni tempore sapientes viri suis scriptis & dictis testati fuerunt. *Arist. 2. Nicom. c. 1. οὐ μικρὸν οὖν διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐδιδασκῆσθαι, ἀλλὰ πάμπόλυ μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν.* Et *Cic. 2. Divin. Nul- lum inquit, reipub. munus afferi majus meliusve potest, quam si doceatur erudiatūrve juvenus. 2. Quæ enim bona sunt, possunt fieri meliora: & quæ non optima corrigi & acui possunt.* *Cic. 1. de Orat. Potens enim est natura; sed potentior institutio, quæ malam naturam corrigit & vertit in bonam, quales nascantur liberi nulli in manu est: at ut rectè institutio- ne evadant boni, nostræ potestatis est.* *Erasmus. 3. Ejus rei per illustre exemplum est in istis Catulis, iisdem parentibus progenitis, quorum alterum Lycurgus passus est lautioribus vesci cibis, alterum ad venationem exercuit &c.* *Erasmus in Apopht. At qui, cum puer sit quavis bestia non- nunquam intractabilior, uti rectè Plato dicebat: πᾶς πάντων θηρίων ἐστὶν ὁσὸν μετα χειρὸς ὀτατον: quidni hîc illud Poetæ usurpemus, Nihil as- suetudine majus. l.*

*Vsq; adeo à teneris assuescere multum est.*

*Omnia naturæ cura jugata potest.*

*Sed de educatione nos alibi copiosius.*

**XLIX.** Efficientem sequitur Causa Materialis (quemadmo- dum enim aliis accidentibus: sic & virtuti suo modo materiam non dene- gamus) in qua quidem investiganda nonnulli miris modis se tor- quent. Non enim nomine materiæ nobis illa, quæ vulgo mate- ria in qua, quæ: aliàs subjectum: neq; materia circa quam, quæ objectum indigirari solet, sed tantum materia ex qua: pro- priè sic dicta, hoc loco consideranda venit.

*Cum*



L. Cum autem materia inter causas numeretur, indagabimus eam vix melius, quam ex causarum enumeratione; sic enim opinor, fiet ut enumeratis omnibus tandem relinquatur, quod materiae vices suscipiat. Enumerabimus igitur.

LI. Causa EFFICIENTIS est actio, quae à mente & voluntate, imò toto homine dependet, homo enim est suarum actionum principium, quod habet Aristot. FORMA est mediocritas. FINIS est εὐδαιμονία beatitudo.

LII. Non ergo homo est materia, quod omnibus manifestum: nec actio, quod superius aliter edoctum. Quid ergo? est aliquid in actione vel sub actione, quod per mentem & voluntatem tam diu movetur, & promovetur, usq; dum virtus tota nascatur.

LIII. Oportet autem ibi materiam esse. 1. Quia virtus in actione consistere dicitur, & per habitum firmari. Atqui hic non potest abesse materia. 2. Quoniam forma ibi apparet, cum mediocritas illa nihil sit aliud, quam δόξος rectitudo, in qua virtutem decurrere necessum est. 3. Finis non potest aliud consequi, nisi quod cum actione est conjunctum. Finis autem non sequitur formam solum, sed totum, cuius est finis.

LIV. Nunquid igitur ἀνόνομος & certo nomine caret? Respondemus hic quod Scaliger de formis alicubi dicit: Nomina tu mihi lapidis formam, qui quotidie tuis oculis obversatur & Phyllida solus habeto. Ex. 397. f. 14. Et quoniam difficulter cognoscimus difficile est nomen imponere: tanta est subtilitas in accidentium materia cognoscenda. Confer. Scal. Ex. 307. f. 4. Ex. 298. 16. Ex. 325. f. 2.

LV. Alij quidem nomen addunt, & vel qualitatem vel affectum, vel actionem vel motum nominant. Verum quia ambiguitate & absurditate hæ voces non carent, satius erit eam distincto nomine non expressisse quam ambigua voce intrinsece.

LVI. Materiae succedit forma, quae ad virtutis constitutionem necessario requiritur. Nam licet materia & forma concurrant ad constitutionem alicujus rei, tamen principalis ratio essendi est ipsa forma. Arist. 8. Metaph. c. 4. t. 8. Et quicquid est per suam formam est. Ergo & virtuti sua erit.

LVI. Occurrunt autem in designatione Formae diversa non-  
B 3 nullo



nullorum placita. Nos quidem eam juxta Aristotelem  $\epsilon\upsilon\ \mu\epsilon\ \sigma\acute{o}\tau\eta\zeta$ , id est, in mediocritate ponimus, non quidem per  $\mu\acute{\epsilon}\delta\epsilon\ \xi\upsilon\upsilon$ , id est participationem, sed per  $\delta\epsilon\ \nu\epsilon\ \sigma\upsilon\upsilon$ , id est abnegationem. LIX. Confirmamus hanc nostram assertionem tribus potissimum stabilimentis. 1. à Comparatione artium & virtutum. *Si in artibus & artium operibus perfectio & bonitas estimatur ex mediocritate: multo magis hoc faciendum est in virtutibus & earum actionibus qua illis longè sunt preferenda. Atqui in artibus hoc fit, siquidem in pictura tam is peccat, qui lineamenta adhibet superflua, quam is qui necessaria omittit: quod & in aliis artibus similiter observatur. Arist. 2. Eth. c. 6. Vide & Magirum in hunc locum.*

LIX. 2. à Contrario. *Si affectus & actiones ideo improbantur, quod à medio ad alterutrum extremorum recedant, merito virtutis actiones in eo laudanda sunt, quod mediocritatem servant, in qua earum rectitudo & laus precipue consistit. Arist. l. d.*

LX. 3. Ex analogia virtutis & medij. *Si virtus in excessu & defectu esset posita, sicut unius rei plura sunt extrema, & unum medium, ita unius rei plures essent virtutes, unum vitium. Atqui hoc affirmare est absurdum, cū omnes fateantur peccandi modos esse plures, recte faciendi unicum tantum. Id quod Philosophus declarat similitudine desumpta à sagittariis: quemadmodum enim difficile est, scopum attingere, quia una tantum est recta linea, quae ducit ad scopum, facile autem est à scopo aberrare: ita difficile est ex virtute agere, quia uno tantum modo secundum eam possumus agere rectè, facile est autem peccare: quia variis modis possumus circa aliquam actionem errare Arist. l. d. Magirus in hunc locum. Ideo Arist. l. 1. M. M. & Plato l. 4. de Rep. inquit:  $\epsilon\upsilon\ \mu\acute{\epsilon}\delta\epsilon\ \xi\upsilon\upsilon\ \epsilon\iota\delta\omicron\varsigma\ \tau\eta\varsigma\ \delta\epsilon\ \tau\eta\varsigma\ \alpha\upsilon\tau\eta\varsigma\ \delta\epsilon\ \tau\eta\varsigma\ \kappa\alpha\kappa\iota\alpha\varsigma$ . Vna est forma virtutis, infinita vero vitij. Atq; hinc fit cur tam pauci sint boni, plurimi vero mali.*

LXI. Formâ designatâ devolvimur ad finem: quem, quia ejusdem in præcedenti disquisitione exactior suscepta fuit tractatio, hic attingere saltem sufficiat.

LXII. Ponimus igitur eum in ipsa  $\epsilon\upsilon\delta\alpha\iota\mu\omicron\nu\iota\alpha\varsigma$  consecutione: siquidem ad hanc tanquam ad scopum omnes tandem virtutes collimant. Virtus enim ad beatitudinem ipsam via est, Scal. Exer. 307. f. 27. Confer. Picc. g. 4. c. 42. & 53. g. 5. c. 42.

LXIII. Constitutis ita virtutum principiis & causis postremo loco subjectum & objectum subjungimus.

Objectum



LXIV. Objectum virtutis duplex est, proprium & quidem externum: vel commune & internum. Casus 1. 2. c. 3.

LXV. Proprium & externum singularum virtutum sunt res ex quibus actiones procedunt, ut pecunia est liberalitatis proprium objectum: τὰ φοβερά καὶ τὴν ἀρπαλίαν fortitudinis &c. Commune & internum sunt affectus, quos Philosophus omnes voluptatis & doloris nomine complectitur. Nam per voluptatem intelligit omnes suaves & delectabiles affectus: per dolorem verò intelligit omnes jucundos & tristes affectus. Casus 1. 2. quest. moral. cap. 3. Donald. lib. 2. cap. 7. Rationes Aristotelis vide 2. Eth. cap. 3.

LXVI. Dum autem virtus circa affectus occupata dicitur, non id volumus, quod Stoici, omnes affectus ex homine esse funditus extirpandos (unde etiam virtutes ἀπαθείας καὶ ἡρεμίας, id est, impassibilitates & tranquillitates definierunt) sed ita solummodo moderandos esse, ut recte rationi congrui fiant. Conf. Picc. grad. 1. c. 24. Vide & Fonseca 9. Metaph. p. 6. 40.

LXVII. De subjecto porro difficilima, ac sursum deorsumque agitur questio inter Philosophos. Alij enim virtutis subjectum in mente & voluntate collocant, ex quorum numero sunt Stoici & Scotus, quorum argumenta prolixè apud Picc. grad. 4. c. 7. refutantur. Quidam in appetitu sensuum, quæ opinio est ipsius Piccol. g. 4. 8. & 9. Deniq; quidam & quidem recentiores in voluntate tale subjectum statuunt. Quæ sententia quia verum inhesionis subjectum exprimit, nostrum quoq; calculum meretur.

LXVIII. Distinguimus autem inter subjectum denominationis & inhesionis. Subjectum denominationis est totus homo. Ejusmodi enim subjectum solum est compositum physicum. Colleg. Conim. lib. 1. de gener. & cor. c. 4. quest. 4.

LXIX. Verum ut diximus questio hinc potissima est de subjecto inhesionis. Id igitur erit vel corpus, vel facultas cognoscens vel appetens. Non corpus, quia, sic virtus temperamenti esset soboles quod infra in ἐπιδήμοσι nostris confutabitur, Neque facultas cognoscens: hæc enim, cum dux quasi & directrix sit, efficiens rationem habet. Quid? quod sic non moralis sed intellectualis foret hæc virtus. Relinquitur ergo ut vis appetitiva virtuti sedem præbeat.

Verum



LXX. Verum cum & hæc appetitiva pars duplex sit, una in sensu occupata, quæ propriè appetitus dicitur; altera rationi se subiiciens, voluntas dicta: in voluntate virtutes morales propriè sedem habent.

LXXI. Corroboramus nostram assertionem hisce rationibus. 1. Illud quod principalius est, primò sibi virtutis sedem vendicat. Sed voluntas est principalior appetitu. Est enim voluntas quasi intermedium inter mentem, & appetitum, propriè sic dictum, & proximè cum intellectu connectitur, Ideò intellectum extensum appellat, Scal. Exerc. 307. f. 3. ita quidem ut videantur consequi à se invicem nempe, 1. Intellectus, 2. Voluntas, 3. Appetitus propriè sic dictus, ut patet ex d. l. Scal. f. 3. & 23. Et primò virtutis sedem sibi vendicat.

LXXII. 2. A genere virtutis moralis, quod constituitur ab Arist. habitus electivus, sic argumentamur: Quod sedes est electionis & libertatis illud est sedes virtutum. Atqui voluntas est sedes electionis & libertatis ut patet ex 3. l. Arist. Ergo & virtutis.

LXXIII. 3. Patet hoc ex objectis. Nam menti verum, voluntati bonum assignatur, Scal. Ex. 307. f. 27. Ut igitur virtutes intellectuales referuntur ad intellectum, cuius objectum verum est: ita virtutes morales ad voluntatem, cuius objectum bonum est.

LXXIV. 4. Subjecto summi boni & virtutis. Quicquid est hominis proprium, pertinet ad animæ facultatem, quæ hominis est propria. Atqui summum bonum & virtus est hominis proprium. Ergo ad animæ facultatem homini propriam nim. ad voluntatem pertinebit.

LXXV. 5. Ab effectu: Vbi virtutes agunt primò & formaliter, & unde prodeunt, ibi habent sedem. Atqui in voluntate agunt primò & formaliter, & ex illa prodeunt. Ergo ibi sedem habent. Minoris stabilimentum ex adjunctis propriis adducimus,  $\pi\sigma\omicron\chi\iota\epsilon\sigma\iota\varsigma$  namq; in voluntate est,  $\tau\omicron\iota\kappa\delta\sigma\iota\omicron\upsilon\pi$   $\eta\gamma\epsilon\lambda$   $\tau\omicron\delta\alpha\upsilon\tau\epsilon\chi\delta\sigma\iota\omicron\upsilon\upsilon$  in appetitu non est nisi per voluntatem, nec  $\beta\delta\lambda\epsilon\upsilon\sigma\iota\varsigma$  in eodem locum habet, sed tantum in voluntate. Hæc autem omnia virtuti morali assignantur. B.

LXXVI. 6. Patet hoc ab exemplo & viâ ad virtutem: Continentia enim, per quam habitus in suo subjecto paratur, & radices accipit, quæq; est quasi dispositio, pertinet ad voluntatem. Ergo & ipsa virtus quæ est habitus. Antecedens probo, quia non sensus officium, sed rationis est, abstinere à suo objecto, ad quod per naturam fertur.

Atq;



LXXVII. Atq; hisce rationibus persuasi constare putamus, virtutes morales propriam suam sedem in voluntate obtinere. Quod igitur de voluntate affirmatur de appetitu sensitivo negatur; ita tamen ut appetitus sensitivus non plane à virtute excludatur: quippe in eo concupiscentia & ira consistunt: sed eatenus admittatur, quatenus virtutes in eo initium, in voluntate sive intellectivo appetitu incrementum capiunt. Donaldson. in *Synopsi Phil. Mor. lib. 1. c. 61. Sicut enim intellectus se immittit in voluntatem, ita voluntas in appetitum. Hub. auctar. 1. quest. Eth. Savan. l. 4. Epit. Eth. con. 7.*

LXXIIX. Disparata deniq; , virtutum nim. extrema , quæ in excessu & defectu consistunt hic attingere & eorundem uberio- rem tractationem in *ζητήματα* nostris suscipere placuit.

Atque hæc generaliter & breviter de virtute mora- li, ejusq; definitione , causis , aliisq; requisitis pro hac *ζητήσεσ* dicta sufficiant. Et licet ex hac materia, larga ad- huc & satis ampla quæstionum seges fruticare & progerminare videatur: tamen quia prolixiorum earundem tractationem , & thesium copia respuit , & pagellarum angustia secludit, pauca- la ex multis delibare animus est.

## QVÆSTIO I.

An mores sequantur temperamentum ?

Mores sequuntur temperamentum non tam vulgari fertur sermone , quam etiam doctissimorum virorum fulcitur auctoritate. Con- stat quippe, referente Piccolhomineo grad. 1. Phil. Moral. cap. 28. summum istum & admirabilem Galenum peculiarem librum conscrip- sisse , in quo hanc sententiam mordicus defenderit. Et quamvis pro ejus par- te varia afferri possint , eorum tamen omnium vis in hoc est posita , quia percipimus ex varietate locorum , temperamentorum , anni temporum , alimentorum , ætatum , vitæ generum , varios consurgere mores, distin- ctasq; perturbationes : cujus rei ratio nulla est alia, nisi quia singula enu- merata connexionem habent cum temperamento corporum : tempera- mentum autem mox sequuntur mores , & perturbationes. Et hanc rem ita se habere non modo experientia, sed etiam summorum Philosophorum auctoritate comprobari posset, videatur Piccol. d. loco. Verum hanc opinionem absolute sumptam, quantumvis aliorum insuper Philoso-  
C pho-



phorum calculo & suffragio comprobata, erroneam planè & à Chri-  
stianâ Repub alienissimam esse, haud multum negotij facesset demonstrare.  
Cautis proinde cautelis & limitationibus probe climatis indigere videtur,  
si alioqui aliquid veri subesse debet. Nos quidem antequam aliquid certi  
in spinosa hac quaestione decernamus, limitabimus eam, eruendo & di-  
scutiendo ambiguitates tam in voce moris quam in verbo sequi  
latitantes. Primò enim tenendum morem esse duplicem, exter-  
num & internum. Mos externus est actio ab interno more pro-  
diens ejusq; indicium: Mos internus est animi certa constitutio  
ad aliquid agendum & talis adhuc duplex est: vel enim ab ortu  
nobis competit, vel in progressu acquiritur: si ab ortu, vel com-  
petit universo humano generi, vel alicui nationi vel alicui  
definito particulari. Mos qui in vitæ progressu acquiritur, rursus  
duplex est, vel levis & est dispositio quædam: vel constans &  
est habitus, qui magis propriè mos dicitur. Et de his moribus in-  
significatione magis propria sumptis loquitur Arist. lib. 2. Eth.  
Nic. sub initio. Sequi deinde contingit tripliciter. Vel enim se-  
quitur aliquid temperamentum tanquam causam sui adæqua-  
tam vel tanquam causam nō ad æquatam, *potiorem tamen*, vel de-  
mum tanquam instrumentum. His præmissis dicimus, si loqui-  
mur de more, qui nobis abortu competit, procul dubio tem-  
peramentum proximè sequitur: sin verò loquimur de proprio  
sumpto more, ille temperamentum non sequitur, nec nobis per  
naturam competit sed in nostra est facultate & more, ac assuetu-  
dine comparatur. Sic quoq; vocabulum sequi rectè est intelli-  
gendum. Non enim mores seu virtutes sequuntur temperamen-  
tum tanquam causam adæquatam: (quippe voluntas & intelle-  
ctus respectum causæ adæquatæ habent:) sed tanquã instrumen-  
tum. Si igitur hæc sententia suo genuino sensu proferatur certisq; limiti-  
bus circumclusa teneatur ferri quodammodo potest: sin verò iis neglectis  
virtus diceretur sequi temperamentum absolute & tanquam causam ad-  
æquatam, inde vel myriades aliquot absurditatum emergent:  
aliquas proferemus. 1. Si mores temperamentum tanquam causam  
adæquatam sequuntur omnia etiam bruta (quippe quæ temperamē-  
tum etiam suum habent) virtutibus erunt prædita. Atqui virtutibus non  
sunt prædita: Illæ namq; sunt habitus animæ rationalis. At rationem non  
habent, Scal. Ex. 226. f. 12. & 307. f. 4. 2. Si virtutes temperamentum  
sequuntur, non actione comparabuntur, sed naturâ inerunt. At

natura



natura non insunt Arist. 2. Eth. c. 1. E. 3. Si virtutes proficisceretur à temperamento, 1. nō esset amplius liberum arbitrium, 2. temperamentū imperaret actionibus nostris, 3. possent medici ut constitutiones corporis, ita & animi ac voluntatis per urinam aliavē indicia explorare, 4. possent alicui suis medicamentis probitatem aut improbitatem infundere, 5. Inanes & ridicula forent leges, admonitiones, pœna, præmia & c. 6. Virtus esset non bonum nostrum, sed natura & fortuna subjaceret injuriæ. 7. Virtutes essent bonum hereditarium. Bona enim temperies à parentibus in sobolem transmittitur. 8. Nostra voluntas non differret ab appetitu brutorum. Et quæ non absurditates alia huc tanquam ad absurditatum absurdissimarum panegyrum confluerent. Concludimus ergo cum Scaligero: Si mores à temperatura cum Galeno ducere conabere, facile objectionum multitudine obrueris. Exer. 274.

### Quæst. II. An Ethici sit de vitiis agere?

Angustioribus præsentem quæstionem coarctabimus cancellis, eam in utramq; partem ventilando. Non convenire Ethicæ tractationi vitiorum doctrinam Socratici in primis, pari ratione qua fallacias ex logicis proscribunt, convincere his conantur rationibus. 1. Si virtus in Ethicis est homogenea, vitium erit heterogeneum. At verum prius. Ergo & posterius. 2. Ex virtute facile intelligimus quid & quale sit vitium. Rectum enim est iudex sui & obliqui. Ergo peculiaris vitij tractatio in Ethicis redundat. 3. Tractatio debet esse rerum positivarum non verò privativarum. Sed vitium est privativum quid. Ergo. 4. Vitia avertamus & fugimus: sed ea quæ fugimus non discimus. E. 5. Cujus nulla datur doctrina & cuius nulla conceditur institutio, illud in tractatione non est suscipiendum. Sed vitiorum nulla conceditur institutio. Ergo. 6. Quæcumq; in Ethicis considerantur, illa ad felicitatem conferuntur. Sed nullum vitium eò refertur. E. Verum Aristotelem concedere vitia in Ethicis tractari posse, hinc liquet, quod passim virtutibus illa adjungat & modum cavendi monstrat. Rationes igitur Aristotelicorum potissimum hæ sunt. 1. Habituum tractatio Ethicis est propria. At vitia sunt habitus. E. 2. Contrariorum est eadem scientia inquit Aristoteles. Atqui virtus & vitium sunt contraria. 3. Quia virtus consistit in medio, quod confuse cognoscitur, nisi addantur extrema, inter quæ mediocritas sit servanda. 4. Quia mala infinita sunt secundum Pythagorã: vitia quoq; se ita habebunt. Expediet igitur numerum nosse eorū ne in multitudine aberremus. 5. Habent adhuc vitia quædam speciem virtutis, ne itaq; nubē pro Iunone quæ arripiat cavendū. 6. Summo



bono contraria est summa miseria. Hanc autem ab aliqua disciplina tradi debere certum est. Ergo & ea quæ ad miseriam istam deducunt, tradenda. 7. τὰ ἄντια παρὰλληλα μάλιστα φαίνεται. Contraria juxta se posita magis elucescunt. In Ethica igitur tradendum de vitiis, ut virtutum doctrina magis elucescat. Pro decisione dicimus. 1. tractanda esse vitia in Ethicis non quidem πρῶτως ac principaliter; sed δευτέρως propter aliud. Ideoq; vitia Ethica non essentialiter competunt, licet interim necessario tradantur, 2. Distinguendum præterea inter notitiam confusam & distinctam. Confusè quidem ex virtute percipitur vitium, sed non distinctè Itaq; non obscure patet in quantum thesis affirmativa vera sit, nim. si loquamur de essentiali tractatione aut de subjecto proprio, vel sine adequato, cum tamen vitia nobis non alià ratione, quàm propter multiplicem utilitatem & majorem virtutis perspicuitatem consideranda veniant.

### Quæstio III. An vitium sit virtutis causa?

Occasionem huic quæstioni dedisse videtur ipse Aristoteles lib. 2. Eth. cap. ultimo, ubi docet semper iis vitiis reluctandum esse, ad quæ naturâ sumus proniores, ita quidem ut si quis nondum habeat fortitudinem, & naturâ propendat ad ignaviam, eum debere actionibus suis deflectere ad oppositum vitium, audaciam nimirum, atq; hac ratione demum fieri, ut ad medium perveniat, & fortitudinis habitus acquiratur. Hinc dubitatio exurgit, an actionibus oppositi vitij virtus procreetur: & si procreetur, nunquid vitium vera virtutis causa constitui possit? Nos respondemus, neq; hanc Aristotelis mentem loco allegato fuisse, neq; exinde tanquam ex causa virtutem oriri posse. Tenendum enim est, Aristotelem dicto loco non hoc sensisse quasi statim & immediatè ex actionibus istis vitiosis virtutes sint exoriturae, sed potius ut per actiones istas vitiosas & alteri extremo contrarias paulatim ad moderatas perveniretur, atq; sic iisdem tandem temperatis moderatisq; virtutis habitus eò melius inde acquiri possent. Vitium porrò virtutis causam esse ἀλογον καὶ ἄτοπον. Hujus assertionis rationes hæc depromimus. 1. Unde virtutis corruptio & interitus est, inde ortus & generatio ejusdem esse nequit, sunt enim generatio & corruptio contrarij effectus, qui non possunt ab unâ eademq; causâ proficisci. Atqui à vitio virtutis fit corruptio E. 2. Si virtus oriatur ex vitio, possent tam virtutes per vitia, quam hæc per illas defini-



Definiri, ita quidem ut liberalitas definiretur moderata prodigali-  
 tas; Magnificencia ambitio cum recta ratione: Fortitudo consulta au-  
 dacia. Neq; valet quicquam, quod quisquam obijciat: Ambi-  
 tio est virtutis causa. Ambitio est vitium Ergo vitium est virtu-  
 tis causa. Respondemus enim, ambitio quatenus vitium seu habitus viti-  
 osus est, non est causa habituum laudabilium ut virtutum; sed tantum a-  
 ctuum: Id est, ex ambitione interdum actiones magnificencia & magna-  
 nimitatis profluunt, nempe si τὸ μᾶλλον, id est, nimium corrigatur: sic  
 quoq; ex temeritate opera fortitudinis seu fortitudini consentanea proce-  
 dere author est, Scal. Ex. 317. f. 4. 3. Deniq; si vitia essent virtutis  
 causa, referentur ad unam quatuor causarum speciem. Sed non  
 hoc: Non enim efficiens: 1. quia finis impedit, qui non est is vitio,  
 ut virtutum gignat. E. 2. nec in potestate est vitij, vel sua, vel cum a-  
 liis, ut virtutem efficiat. Non est materia; quia vitium non habet; aut  
 si habet tamen toto genere discrepat. Sed simile fit à simili & sibi conveni-  
 enti. Arist. 2. Phys. 1. Non est Forma: quia vitium est non Ens, & pri-  
 vatio. Non entis autem nulla qualitas Scal. Ex. 5. f. 2. Privatio verò sem-  
 per machinatur ad maleficium forma. Alex. ab Ale. 3. Metaph. t. 15. Non  
 deniq; finis: quia semper importat præminentiam bonitatis Fonseca,  
 lib. 5. Metaph. cap. 1. q. 6. f. 1. Concludimus ergo vitium nullum omnino  
 cause respectum habere. Gocl. in Exerc. Ethic. q. 62.

#### Quæstio. IV. Quid de Ethnicorum vir- tutibus habendum?

Variè à variis tam superiori quàm moderno tempore, præsens fuit  
 ventilata & agitata quæstio. Prodeunt enim ex nonnulla phalange  
 qui usq; adeò Ethnicorum virtutes extollunt, ut propter illas in-  
 numerum salvandorum referri posse statuunt. Cinglius ad Gallia-  
 rum Regem. Tamerus. Latomus, Erasmus in præf. in Tuscul. quæst. E con-  
 tra verò reperiuntur, qui eorum virtutes, usq; adeo annihilare  
 extenuare & contemnere consueverunt, ut eas peccatis & ope-  
 ribus carnis, quæ inimicitia sunt adversus Deum, annumerarint.  
 Verùm cum ab utrisq; nonnihil peccatum sit, regia via, quomodo tenen-  
 da sit, discernendum. Prioris sententia propugnatores nituntur hoc  
 probare, 1. sine legis natura: Nam, si illi, qui juxta id, quod Deus



*ipsis manifestavit, non vixerunt, sunt inexcusabiles. E. qui illud fecerunt sunt excusabiles. 2. Ab assertione Pauli: Factores legis justificantur, Rom. 2. At gentes sunt factores legis Rom. 2. v. 14. Ergo. Impiam verò & blasphemam hanc esse sententiam constat primò ex causis nostræ salutis. Quia illi in tempore salvantur qui ab eterno sunt electi Ephes. 1. In Christo autem non sumus extra fidem, Ergo nemo extra fidem in Christo salvatur. 2. Ab apertis scripturæ testimoniis. Nemo enim venit ad patrem nisi per me, inquit, Christus Ioh. 14. Nec est in aliquopiam salus, nec etiam aliud nomen est sub cælo datum inter homines in quo oporteat nos salvos fieri. Act. 4. Respondemus igitur ad priorem objectionem. 1. quod ipsa cognitio fuerit imperfecta & languida, proinde nec ad vitam sufficiens. 2. Beneficio illius naturalis notitia potuissent ulterius de Deo inquirere, quod si fecissent Deus in ipsorum mentibus per media fidem fuisset operatus, quâ Christi meritum potuissent apprehendere, atq; sic planè fuissent excusabiles. Verùm quoniam nemo ipsorum hoc prestitit: ideo meritò omnes dicuntur inexcusabiles. Confer Chemnitium parte prim. Locorum Theol. pag. 47. & seq. Selnece in pædag. parte 1. p. 29. & seq. Ad 2. Respondemus. 1. Apostolum quando dicit gentes natura fecisse quæ sunt legis, non perfectam obedientiam illis tribuere, quæ ne in renatos quidem Christianos cadit in hoc seculo: sed tantùm iudicare eos in aliquibus rebus ductu luminis naturæ vixisse secundum virtutem moralem. Hunnius in tractat. de libero arbitrio. 2. Deinde ipsorum virtutes fuerunt mutilæ. 1. quod fuerunt extra fidem, 2. quod non referebantur ad Dei gloriam, sed ad propriam laudem.*

*Alteram deniq; sententiã non usquequaq; veritati consonam esse diximus, quæ nimirũ simpliciter assertitur, virtutes gentiliũ esse nihil aliud quam pura peccata & opera carnis. Argumenta quibus hæc sententia stabiliri posse videtur, sunt hæc, 1. A forma virtutum: Ethnici destituebantur fide. Ergo & ipsorum virtutes sunt peccatum. Quicquid enim extra fidem est peccatum est Rom. 14. Et sine fide impossibile est Deo placere, Heb. 11. 2. Opus carnis est peccatum Gal. 5. Virtutes Ethnicorum sunt opera carnis, sunt enim ab hominibus carnalibus profectæ 3. Omnis sapientia humana, etiam præstantissima, est inimicitia coram Deo Rom. 8. At virtutes Ethnicorum sunt sapientia humana Ergo.*

*Verùm neq; hæc argumenta adeo sunt valida, quin limitationem & restrictionem quandam faciliè admittant.*

Respon-



Respondemus igitur ad primum, eo nihil magis probari, quam virtutes Ethnicorum displicere Deo per accidens quatenus videlicet proficiuntur à personis quæ non sunt in gratia. 2. dictorum ex Paulo citatorum posterius explicat prius: conceditur enim quod displiceant Deo & pro peccato propter fidei absentiam non immeritò habeantur: negatur tamen omne illud, quod est extra fidem simpliciter esse peccatum. Hac enim ratione ipsa substantia hominum non renatorum esset peccatum. 3. Apostolus dicit Rom. 2. v. 18. Quod virtutes Ethnicorum contineantur in iniustitia. Ergo non vult ipsam esse iniustitiam. 4. Tolleatur apud Ethnicos discrimen virtutum & vitiorum, si non minus virtutes ipsorum, quam vitia pro peccatis haberentur. Atqui tum non consistere potest illud Pauli, quando commendat in gentilibus, quod naturæ ductu, quæ legis sunt, aliquo modo fecerint, ut iam modo dictum & explicatum fuit. Proinde quatenus Gentilium virtutes, & quæ secundum legem naturæ fecerunt, aliquo modo legi divinæ, teste Apostolo, fuerunt consentanea, eo sanè respectu meritò commendantur & à vitiis discernuntur, quemadmodum Deus ipse ea præmiis ornavit. Ad 2. Quod opera carnis sunt duplicia, alia per se displicent Deo, cuiusmodi sunt illa, quæ per se sunt peccata & de iis agitur Gal. 5. Alia quidè per se sunt bona, sed ex accidente displicent Deo, eò quod fide carent: & huc referenda sunt virtutes Ethnicorum Ad 3. quod virtutes Ethnicorum sint inimicitia Deo. 1. non per se sed per accidens, quia sunt sapientia carnis. 2. distinguendus verus usus ab abusu. Atq; ex hac sententiarum oppositione constare putamus, virtutes Ethnicorum neq; simpliciter peccatum dici posse, neq; etiam tantæ fuisse perfectitudinis, ut illis salutem promereri & consequi potuerint. Observandum igitur virtutes dupliciter considerari posse, 1. in se & sua naturâ pro ut erant rectæ rationi & sic etiam ex parte legi Dei conformes. 2. Ratione subiecti, pro ut inerant homini non renato. Priori modo placebant Deo tanquam opus suum secundum illud; Tu Domine nihil odisti eorum, quæ fecisti. Posteriori modo propter personam Deo non placatâ summè eidem displicebant. Vide optima apud magnum istum Chemnitium in Exam. Concil. Trid. p. 1. fol. 112. apud Selnecc. l. 1. pag. 24. Apud Hunium in Epist. ad Rom. c. 14. VVinkelmann. in Tom. 3. disp. disputat. 11. de Carne & Spiritu &c. Confer & Danaum l. 1. Ethic. Christ. c. 17.

Quæst. V. Quid ergo inter se differant virtutes gentiles & Christianæ: & num istæ gentilium virtutes sint etiam è donis Spiritus S.?



Primum quod concernit: *Multum equidem discriminis hisce virtutibus invicem intercedere, vel ista scripturarum testimonia irrefragabiliter evincunt: Si Spiritu a cōtiones carnis mortificabitis vivetis: qui spiritu Dei ducantur hi sunt filij Dei: si quis spiritum Christi non habet non est ipsius. Et Christus inquit: sine me nihil potestis facere. Proinde licet foris videantur similes virtutes, Castitas Scipionis, & Castitas Iosephi: Iustitia Rhadamanti seu Aristidis, & Iustitia Samuelis in iudicando: Fortitudo Hectoris & Davidis: intus tamen causæ sunt longè dissimilimæ. Ratio 1. quia multæ sunt propriæ Christianorum virtutes Ethnicis planè ignotæ: cuiusmodi sunt virtutes primæ tabule in Decalogo. 11. Differunt causis efficientibus. Gentilium enim virtutum causæ efficientes principales sunt mens rectè iudicans secundum legem naturæ insitam aut præscriptam, & voluntas obtemperans. Causæ minus principales sunt impetus naturales, doctrina & assuefactio faciens habitum. E contra Christianorum virtutes non solis humanis seu liberi arbitrij viribus efficiuntur: sed à sancto spiritu per verbum accenduntur & consummantur. 1o. 5. sine me nihil potestis facere. Phil. 2. Deus est qui operatur in nobis & velle perficere pro bona voluntate. Et præclare Marcus Heremita dixit: quoties aliquid virtutis feceris memor sis ejus, qui dixit: sine me nihil potestis facere. 2. Accedit huc mens à Spiritu S. renovata, docta & illuminata, rectè cogitans & iudicans juxta verbum: & voluntas à Spiritu S. renovata & Dei verbo obtemperans. Aguntur enim Spiritu Dei sancti, ut agant, non, ut ipsi nihil agant. Augustinus. 3. Requiritur Doctrina, Institutio Christiana & pietatis exercitia. 1. Tim. 4. Exerce te ad pietatem. Etsi enim non minus valet iudicium mentis, nec minor est libertas regendi locomotivam in sanctis, quam in Ethnicis: tamen semper præit Spiritus S. suâ gratiâ, adest sanctis suo auxilio, etiam in rectione locomotive, gubernans cogitationes motus & a cōtiones verbo Dei, sicut prolixè explicat Psal. 119. adjuvans imbecillitatem, mortificans carnis affectus & impetus, impediens Diaboli conatus &c. III. causa formali: Quia Christianorum virtutes sunt veri & serij motus cordis per Spiritum S. accensi, quibus vera cognitio Christi, & fides, sine qua impossibile placere Deo, præluceat. At Ethnica ista virtutes sunt tantum externi gestus seu gubernatio locomotiva sine spiritali motu cordis sine fide: quo respectu omnes Ethnicorum virtutes quantumvis splendidas & illustres*

vix



vix ac ne vix quidem umbras esse Christianarum virtutum: imò, cum Augustino splendida peccata esse non dubitamus asserere, uti precedenti questione fuit explicatum. Præclare enim iterum August. lib. 12. de Trinit. c. 7. l. 19. *Virtus, ait, est recta intentio à fide proficiens. Virtus sine fide nulla est. Bonum opus intentio facit: intentionem fides dirigit: Virtus non est, quæ non agnoscit Deum suum auctorem: nec ad Deum tanquam ad verum suum finem respicit.* Itaq; lib. 4. contra Iul. c. 3. sic idem scribit: *Minus Fabricius, quam Catilina punietur non quia iste bonus, sed quia ille magis malus: & minus impius quam Catilina Fabricius, non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimum deviando.* Vide Laëtantium lib. 6. cap. 9. IV. *Causis finalibus. Virtutum enim Philosophicarum sunt. 1. Ipsa pulchritudo virtutis, sicut dicitur: virtus per se expetitur imò propter beatitudinem politicam. 2. Gloria seu bona fama. 3. Utilitas privata seu publica. 4. Vitatio poenarum. 5. Conscientiæ tranquillitas, de qua Socrates passim gravissimè disputat. Confer disp. precedentem secundam de summo bono.*

Christianarum verò virtutum causa finalis præcipua & prima est gloria Dei. 1. Cor. 10. *Quicquid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Matt. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera & glorificent patrem vestrum, qui est in cælis.* 2. Cum hac conjuncta sunt aliæ causæ principales, ut vid. Deo in fide obedientia præstetur. 3. Ad has possunt accedere aliæ causæ minus principales, si modo principales non destruant, vid. ordinata appetitio bonæ famæ benevolentia & justis præmiis. Paulus ab Eitzen in doctrina Ethica lib. 1. cap. 19. Chytræus in Catech. in loco de bonis operibus. Confer Danænm. l. d.

Ad alterum affirmativè respondemus adhibitâ distinctione inter dona Spiritus S. communia & sanctificantia. Chemnit. parte 1. Loc. Theol. p. 244. *Vt ut enim istæ Ethnicorum virtutes non fuerunt è donis sanctificantibus: interim tamen donis istis, communibus omnino sunt accensende.* *ὡς αὖ δόσεις ἀγαθῶν καὶ πάντων δώρημα τέλειον ἐνωθέν ὅτι κατὰ βούλησιν ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων,* Iacob. 1. v. 17.

#### Quæstio. IV. An virtus homini naturâ in fit?

Affirmativa est Platonis & Socratis, qui dicebant virtutes esse nobis congenitas & innatas: Verùm ex immersione animæ in corpus offuscari sicq; obliterari ut assiduâ operandi consuetudine eas detergi & nativum

D

deco-



decorem recuperare necessum sit. Plato in Menone. Martyr. in lib. 2.  
Nicom. c. 2. p. 237. Chlicht. p. 8. Negativa est, Aristotelis lib. 2.  
Nicom. c. 1. & suadetur hæc 1. A natura & proprietate rerum natu-  
ralium. Quæcunq; enim naturâ insunt, nullâ assuetudine possunt muta-  
ri. v. g. Lapis suâ naturâ, ut corpus grave, deorsum tendit, nec unquam  
assuescitur potest, ut ultrò & naturâ suâ sursum feratur sine externa vi im-  
pellente. Rectè ergo Horatius l. 1. Epist. Naturam expellas furcâ ta-  
men usq; recurrit Et malè perrumpit furtim fastigia victrix. Et Iuven-  
nal. Satyra. 13.

————— Tamen ad mores natura recurrit

Damnatos fixa & mutari nescia.

Atqui mores & virtutes consuetudine mutantur. Videmus enim propter  
consuetudinem ex bonis fieri malos, & ex malis bonos. Qui enim claudo co-  
habit at, & ipse claudicare discit: & balbutire discit quisquis cum balbo vi-  
vit. Benè enim Poeta.

Dum spectant oculi lætos, læduntur & ipsi,

Multaq; corporibus transitione nocent.

Ergo & c. 2. E loco priorum & posteriorum in rebus naturalibus.  
Quæ naturâ insunt, eorû facultates primò habemus quàm operationes v. g.  
Dedit natura nobis prius facultatem videndi & audiendi, quàm ipsam vi-  
sionem & auditionem. Atqui in virtutibus res contrariis modo sese ha-  
bet. Prius enim agimus quàm facultatem benè agendi asequamur: siqui-  
dem per crebas & benè continuatas actiones virtutis habitus nobis acqui-  
rimus: non secus, ac assiduis actionibus edificandi pulsandi Cytharam pin-  
gendi literas, solemus fieri architecti, scribae, Cytharadi 3. A legum cau-  
sa finali: si enim virtutes nobis naturâ inessent, de iis acquirendis nihil  
neceffe foret, leges ferre. Atqui legibus quàm maximè opus est. Cic. lib.  
3. de leg. Nihil est tam aptum ad jus, conditionemq; naturæ, quàm lex,  
sine qua nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec genus hominum uni-  
versum, nec rerum natura omnis nec ipse mundus stare potest. Quæ nulla  
alia de causa à majoribus sunt inventa, nisi ut suos cives incolumes con-  
servarent. Ergo 4. A loco Causarum efficientium & cor-  
rumpentium: Quæ naturâ insunt eodem modo se habent, nec per ea-  
dem generari ac corrumpi possunt. Aristot. lib. 2. de gen. At virtutes  
morales per eadem generantur & corrumpuntur. Nam per bonas actiones  
introducitur virtutum habitus sicut per actiones depravatas eadem vir-  
tutes corrumpuntur & contrarius vitiorum habitus acquiritur Ari. l. d.

Nos



Nos hanc laticulam dirimimus duplici adhibitâ distinctione, r.  
 Non est habitus plenus & perfectus virtutis in nobis à naturâ; sed  
 ab assuefactione: est tamen à naturâ in nobis *διάθεσις* & disposi-  
 tio illius habitus, qui exercitatione assiduâ consummatur. *Præ-*  
*bet hanc distinctionem ipse Philosophus lib. 2. cap. ult. his verbis: se-*  
*cundum quid homines naturâ sunt virtuosi ut liberales & tempe-*  
*rantes: simpliciter verò non sunt virtuosi: nemo enim naturâ*  
*est prudens. Sunt enim in nobis omnibus semina & igniculi virtutum,*  
*qui diligenter sunt fovendi. Quemadmodum enim fructus in radice plantæ*  
*latitans non omnino funditur, si non accedat influentia solis: ita virtus*  
*in potentia naturæ pullulascens, non editur si non accesserit industria men-*  
*tis. Optime ergò Thomas Aquinas: sicut aliquis per principia, spe-*  
*culabilia præcognita, invenit de aliquo subjecto scientiam, quam nec pri-*  
*us per doctrinam, nec sibi congenitâ à natura habuit: sic operando per prin-*  
*cipia rationis practica, quæ sunt tanquam semina virtutum, producit a-*  
*ctiones bonas ex præscripto rationis, quibus frequentatis virtus perfectè*  
*acquiritur, quæ prius virtualiter latebat in principiis rationis practicis*  
 Gocl. in Exerc. Eth. Epist. 49. 53. Casus l. 2. q. moral. c. r. Donal.  
 l. 2. Eth. c. 2. 2. Assertio hæc Aristotelica locum habet in natu-  
 ra ut nunc est, id est, corrupta & vitiata per primum lapsum:  
 siquidem jam usitato nunc cursu nature non nascimur sed finis boni seu  
 καλοῦ καὶ τοῦ Θεοῦ: at in statu innocentie ac integritatis virtus homini na-  
 tura inerat. Quemadmodum enim celum absq. suis ornamentis non man-  
 sit, & terra herbis statim fuit cooperta: ita homo cum creatus est, virtu-  
 tibus se decentibus non caruit: siquidem ad Dei imaginem homo  
 creatus fuit, Goc. d. l. q. 54. Martyr. l. d. pag. 243.

Quæstio VII. An rectè dictum ab Aristotele: ju-  
 ste agendo nos justos fieri, id est, ex  
 crebris actionibus virtutum ha-  
 bitus comparari?

Affirmativam tuetur Arist. 1. A simili. Quemadmodum Archi-  
 tecti existunt cum adificant & Cytharædi cum Cytharâ canunt: simili-  
 ter & justi efficiuntur res iustas facientes: temperantes temperata: fortes  
 fortia, Aristot. 2. Ethic. cap. 2. 2. A contrario: qui non agit  
 quæ sunt iusta aut temperata, is nunquam sibi comparabit habitum iusti-  
 tiæ; sed potius acquireret sibi contrarios habitus: veluti si saepe agat,

D 2

quæ



que sunt injusta, tandem etiam iniustitia habitum sibi comparabit. 2. Nic.  
c. 4. Subscribimus & nos huic affirmativæ.

A negante sententia videtur facere illa objectio Aristotelis: Omnis causa naturam prior est suo effectu: Atqui habitus virtutis causa est actionum, quæ exinde proficiuntur. Ergo habitus virtutis hæc actionibus natura prior est. Et per consequens erroneum videtur actiones virtutis habitum precedere & ex illis tanquam causis virtutem comparari. Minor nititur analogia, quæ est inter artes & virtutes morales, hunc in modum: Quemadmodum res in artibus sese habet, ita quoque res in virtutibus sese habere verisimile est. Conveniunt enim in eodem genere habituum animi. Sed in artibus opera artis ab habitu proficiuntur & eundem declarant. v. g. qui Grammaticum quid præstat, aut Musicum, is Grammaticus & Musicus sit necesse est, id est Grammaticæ & Musicæ habitum jam possidet. Ergo etiam in virtutibus actiones ab habitu interno proficiuntur: non autem habitus ab actionibus generantur. Respondemus cum Philosopho ad hunc syllogismum. 1. Negando minorem. Perquam falsum enim est, opera artis ab habitu proficisci, & eum, qui Grammaticum quid præstat, exinde Grammaticum esse & Grammaticè agere. Fieri enim potest ut aliquis Grammaticum opus efficiat sive loquendo sive scribendo, licet non Grammaticè id est, non ex habitu quodam Grammatices, qui in eo est: sed, vel fortuito, vel alio suggerente. Ille autem propriè Grammaticus dicitur, quæ & Grammaticum aliquid præstat, & Grammaticè id est, ex arte Grammatices, cuius habitum possidet rationem asserre potest, cur ita & non aliter loquatur & scribat. Atque sic justus est, qui & iuste agit & iustè &c. 2. Per inficiationem etiam majoris. Nihil enim necesse est, ut eadem obtineat ratio in actionibus virtutum, quæ in artium operibus: siquidem non eodem modo considerantur & æstimantur. Opera enim artificum suam perfectionem in se ipsis habent etiam extra mentem artificis considerata: neque tantillum refert quo habitu is, qui ea designavit, præditus fuerit, sed satis est, certo quodam modo ea conformata esse, juxta proteritum illud: Opus commendat artificem. Virtutum vero actiones non sola per se considerantur, sed ex agentis persona: nempe ut is agat 1. sciens 2. volens, 3. agat solius virtutis & honestatis amore, omniq; affectio & simulatio absit, 4. constanter. Vide diss. seq. th. 11. & seq. Brevius hæc Aristotelis responsio contrahi potest per distinctionem actionum quarum quædam dicuntur probæ sed non probè factæ,

Quando



Quando dicimus virtutes præcedere actiones, tunc loquimur de posterioribus non de prioris generis actionibus. Illæ enim virtutes consequuntur tanquam effectus causam efficientem: hæ verò virtutem præcedunt, tanquam causa efficiens effectum. *Goelen. in Exerc. Ethicis qu. 49.*

### Quæstio II X. An privatio exsuperantiæ & defectus sit differentia specifica virtutis, quâ à vitio distinguitur.

*Ira quidem placet nonnullis. Sed improprium hoc est. 1. Omnis privatio est ignobilior & vilior habitu. Sed hæc privatio exsuperantiæ & defectus non est vilior & ignobilior habitu sed melior & nobilior. Ergo non est privatio. 2. Qualibet forma est Ens positivum, alioquin non constitueret speciem. Privatio non est Ens positivum. Ergo privatio exsuperantiæ & defectus non est differentia virtutis. 3. Privatio non habet rationem mali & imperfectionis. Quia propriè tantum dicimur re bona privari, quam habere naturâ debemus, & privatio est destructio rei & quidem bona in subjecto. *Goel. lib. i. part. Dial. p. 53. Atqui virtus habet rationem boni & perfectionis. Ergo. Goel. in Exerc. Ethicis q. 48.**

### Quæstio IX. Vtrû in omnibus affectibus & actionibus possit reperiri laudabilis aliqua mediocritas?

Negativam tuetur Aristoteles 2. c. 6. duobus argumentis. 1. Quæ per se & suâ naturâ mala sunt & non per excessum & defectum, in illis non potest dari bona mediocritas. Atqui quidam affectus & actiones tales sunt. 2. In quo nunquam licet rectè agere; sed semper peccare, id non admittit mediocritatem. At in quibusdam affectibus & actionibus nunquam licet rectè agere. E. Pro declaratione notandæ duæ distinctiones, una affectuû; altera actionum. I. Affectus alij per se suâ naturâ & semper sunt boni & laudabiles & non propter mediocritatem. v. g. amor parentum, liberorum, conjugum, misericordia erga afflictos. Alij per se & suâ natura sunt mali & vitiosi, veluti invidia, malevolentia &c. Alij sunt neutri, qui per se & suâ naturâ nec boni nec mali sunt: sed eatenus boni, quatenus modum servant: mali autem quatenus modum excedunt v. g. ira, amor, gaudium, voluptas &c. *Zvving. in l. 2. Nicom. cap. 4. p. 86. II. Quædam actiones sunt*



Per se & suã naturã bonæ & non propter aliquam mediocritatem, ut  
colere parentes, Deum timere, neminem ledere, bonis legibus parere.  
Quædam per se & suã naturã sunt malæ, neq; ulla unquam medio-  
citate possunt effici bonæ: ut scortari, latrocinari, mentiri, peccare, de-  
cipere. Quædam verò sunt indifferentes. & per se neq; bonæ neq; ma-  
læ: sed bonæ sunt propter mediocritatem; malæ si à mediocritate recedant  
ut sunt edere, bibere, dare, accipere, emere, vendere. Atq; circa ejusmo-  
di affectus & actiones proprie versatur virtus moralis, & ostendit, quo  
pacto modus in illis sit servandus, & vitandus excessus & defectus. Magi-  
rus in cap. 6. lib. 2. Eth. Nic. p. 158. Golius lib. 2. Eth. p. 80.

### Quæstio X. An etiam virtutes Theologicæ medium sectentur?

Negant Scholastici Doctores. Thomas prim. sec. q. 64. a. 4.  
Nos affirmamus, & earum medium in divinis literis esse propo-  
situm, asserimus. Fides enim haut plus credere debet quam in sacris lite-  
ris habeatur, neq; item minus quam illæ præcipiant. Peccant enim qui plus  
sperant, quam scriptura sacra præscribat, ut Chiliastæ Quive minus, ut  
Origenistæ, qui resurrectionem sperant, sed non veræ carnis. Describit  
quoq; fines dilectionis Dei sancta scriptura. Plura voluit facere Petrus cau-  
sa Christi, quam ille veller: ac multi alij nolunt ejus causa facere quæ ille  
petit. Quo sanè modo rectè defendi posse videtur, & ipsas virtu-  
tes Theologicas medium sequi. Martyr. lib. 2. Nicom. cap. II.  
pag. 306.

### Quæstio XI. An in virtutum extremis possit dari aliqua mediocritas?

Neg. 1. Quia sic non amplius essent extrema. Nihil enim eo-  
dem respectu potest esse medium & extremum, 2. Si in extremis esset ali-  
qua mediocritas, hujus mediocritatis alia vicissim essent constituenda ex-  
trema: quia non potest esse mediocritas sine extremis, & sic progressus da-  
retur in infinitum.

### Quæstio XII. Quomodo virtus vitiis opponitur?

Respondemus cum Aristot. lib. 2. Nicom. c. 8. virtutem vi-  
tiis opponi κατὰ ὑπερβολὴν secundum exsuperantiam: siquidem  
medium superatur ab excessu, superat autem ipsum defectum. V. g. Forti-  
tudo



rudo in audendo superatur ab audacia: quia audax plus audet quam fortis: ipsa fortitudo vero superat timiditatem, quia fortis plus audet quam timidus. Sic liberalis in dando superatur à prodigo: quia prodigus plura dat quam liberalis: superat vero avarum, quia liberalis plus dat quam avarus. Probat Philosophus hanc assertionem 1. A simili: quemadmodum equale se habet ad majus: ita etiam virtus se habet ad extrema. Sed equale se habet ad maius & minus secundum excessuperantiam: quia equale respectu minoris est maius seu superat: respectu autem maioris est minus seu superatur. 2. Ab exemplo Fortitudinis, temperantiae & liberalitatis: quia fortis respectu ignavi dicitur audax & respectu audacis ignavus &c. Ex quibus patet virtutem vitiis tantum opponi ratione excessuperantiae. Arist. l. d.

### Quaestio XIII. Vtrum major contrarietas & pugna extremorum inter se, quam medij cum extremis?

Affirmatur prius ex Aristotele, 2. Nicom. e. 8. 1. Quia extrema longius à se invicem distant, cum ab uno extremo non possit perveniri ad alterum, nisi prius quasi transitus quidam fiat per medium. Atqui quae longius à se distant, magis etiam sibi opponuntur & contrariantur. 2. Quia extrema & medium, id est, virtutes & vitia haut aliter se habent, ut haec tria, parvum magnum & aequale. Iam vero parvum & magnum magis inter se pugnant, quam cum aequali E. 3. Inter vitia est maxima dissimilitudo: inter vitia autem & medium, aliqua adhuc similitudo deprehenditur, dum fortitudo audacia prodigalitas liberalitati haut absimilis est. Ergo. Sunt enim extrema inter se species oppositae, sed cum virtute dumtaxat disparantur v. g. maior est dissimilitudo inter timidum & audacem quam audacem & fortem. Obijci tamen potest: Virtus à vitio genere & specie differt: vitia vero sive duo illa extrema specie tantum, non item genere sunt diversa. Ergo maior inter virtutem & vitia pugna esse videtur, quam vitiorum inter se. Respondemus distinguendo inter pugnam virtutis absolutam & comparatam. Quatenus enim virtus ut res per se bona, vitium vero in classe malorum accensetur, tum inter se absolute pugnant, & sic extrema & medium inter se magis differunt, quam extrema inter se, quatenus vero virtutes & vitia comparate inter se opponuntur, conferendo similitudinem vel dissimilitudinem inter se, tunc pugna extremorum major est.



for est inter se quàm cum medio. Martyr. in l. 2. Nic. c. 8. p. 287. & 298. Donald. l. 2. cap. .3. Magir. in hunc locum. pag. 176.

Quæstio XIV. sitne magis ab excessu quam defectu cavendum?

Suadent ut plurimum excessum magis quàm defectum esse cavendum, quod excessus plus possit nocere & minus corrigi, quàm defectus. Unde etiam Cic. lib. 1. de orat. ait: suus cuiq; modus est: tamen magis offendit nimium quàm parum. Et Isoc. ad Nicoc. scribit Optimum est servare modum. Quoniam autem is semper haberi non potest, ideo potius deligendus est defectus, quàm excessus: & causam addit: nam inquit, med:ocritates magis vim suam habent in eo, quod est parum, quàm in eo quod est nimium. Pro decisione tenendum hic nihil definite statui posse. Nam in quibusdam defectus virtuti est similior, & propterea ab excessu magis temperandum: in aliis verò excessus ad virtutis naturam propius accedit. dd. 11.

Quæst. XV. Quænam vitia sint omnium deterima?

Respondemus ea vitia, ad quæ sumus naturâ procliviores, esse à medio remotiora & propterea omnium maxime detestanda. 1. Quia enim natura nostra corrupta & depravata est, ideo etiam magis declinat ad ea, quæ sunt mala. Simile enim semper pergit ad alterum simile: & simile simili gaudet. 2. Appetitus semper repugnat & adversatur rectæ rationi: adeoq; est veluti membrum paralyticum, quod cum horsum movetur eorsum perperam distorquetur. Arist. 1. Nicom. cap. 12. Quemadmodum ergo turpissimum est aspectu, si os, vel aliqua corporis pars in contrarium distorqueatur, ita longe turpius est, si ratio affectibus succumbat, & alio appetitus moveatur, quàm ratio imperet. 3. Patet exemplo. Quia enim naturâ magis propensi sumus ad ignaviam, quàm ad audaciam: magis ad avaritiam quàm ad prodigalitatem: magis ad intemperantiam, quàm ad voluptatum fugam: ideo illa vitia sunt deteriora, quia virtuti magis adversantur. Arist. 2. Nicom. c. 8. Quin ergo hic concludimus eum Zvingero: A deo in universum quæ ad vitia naturâ sumus proclives, quanto facilius in iis labimur (ut ut hic propter facilitatem lapsus veniam nobis dari postulemus humanum esse labi dictitantes) tanto quoq; turpius. Miles enim qui vel levi negotio terga dat, magis reprehendi meretur, quàm is, qui post longam & difficilem pugnam, aut hostium insidiis exceptus superatur.

F I N I S.



Fc 1249.  
gn

ULB Halle 3  
003 422 747




Bitte noch kein  
Sammelbd. verwenden  
nach Ausleihe  
an Retro-Ecke  
OK  
Zurück!


VD 17











UTATIO III.  
IONVM ETHICARVM  
De  
TE MORALI  
GENERE.

Quam  
ENTE ET DOCHNTE  
Academia VVitebergensi  
PRÆSIDE  
VELSTENIO PHILO-  
ralis Professore publico,  
ndendam suscipiet  
RHETELIUS OSTERO-  
densis Saxo.

. horis locoq<sub>3</sub> consuetis.  
Seneca  
la vis auri, & argenti pluris  
virtus aestimanda est.

TEBERGÆ  
llerianis Anno 1607.

